

ua, seu ipsa vox: & talis motio mensuratur duratione, seu tempore intrinseco, quod dilatio; seu pro longatio vocis; & illius mensura, brevis, seu longa, dicitur. Itaque breviter dicendum: quod anima est causa principalis vocis; Pulmo, minus principalis; Arteria vocalis est veluti causa formalis; percussio aeris est actio; aer verberatus est subiectum; aer extrinsecus est medium, per quod ad auditum defertur; & etiam aqua potest dici medium; licet improprie.

Ex quibus omnibus manifestum est, quod aer pertinet ad Prædicamentum substantiæ: vox ad Prædicamentum qualitatis: motio actiua ad Prædicamentum relationis: Duratio, seu pro longatio, vel pertinet ad Prædicamentum, Quando, vel ad idem Prædicamentum, ad quod pertinet motio, tam actiua, quam passiva. Vnde cum hæc omnia non sint, nisi prærequisita ad orationem, sequitur, quod oratio est aliud ab illis: licet omnia ad illam prærequirantur.

3. Nota.

Tertio notandum: quod sicut multitudo cōtinuorum est subiectum discretionis, quæ est numerus: ita etiam multitudo vocum, sonorum, seu syllabarum, est subiectum cōcentus, seu numeri sonori: in hoc enim cōueniunt. Differunt tamē: nam multitudo, & subiectum numeri, est permanens regulariter loquendo: multitudo vero, in qua subiectatur oratio, est successiua: siue sit ipse aer verberatus, qui dicitur subiectum remotum, siue mobile, siue sit ipsa syllaba, seu alius quicūq; sonus illitteratus, qui dicitur subiectum proximum. Vnde cum omnis motus tempore mensuratur; omnis motio vocis etiam tempore mensuratur: & cum talis mensura sit quædam extensio, qua ipsa vox prolongatur, & corripitur, seu abreuiatur: idē vox, seu syllaba, dicitur longa, & breuis: longa, si in sui prolatione duo spacia, seu tempora, consumat: breuis autem, si vnicum tantum spacium, seu tempus, consumere dicatur: quæ longitudo, & breuitas, in syllabis sunt conditiones requisitæ, & veluti vltimæ dispositiones in subiecto; vt talis, vel talis cōcentus in vocibus resultet. Differunt etiam secundo: quia in subiecto numeri non requiritur necessario prius, aut posterius: at vero in subiecto orationis hoc necessario requiritur; ratione temporis, & motus, quæ ad illam prærequirantur.

1. Corol.

Ex quibus, quid sit oratio, colligitur: est enim oratio discretio, seu forma discretiua, apta multitudinem vocum, seu sonorum, discernere, & mensurare, ac harmonicos, & sonoros, reddere: quæ definitio, ex illis, quæ de numero dicta manent, constat, & explicatur.

2. Corol.

Secundo, apparet: quomodo oratio non sit ipsa vox prolata: quia hæc est qualitas; nec est motus, aut duratio ipsius motus vocis: nec est mensura longitudinis, aut breuitatis: quia hæc sunt accidentia continua; sicut & tempus, ad quod sequuntur: nec denique est mensura pedum carmina componentium: vt sunt Dactylus, & Spondæus: nam talis mensura est ens rationis, cum fundetur in vocibus; prout sunt significatiuæ: musa enim, in nominatiuo, est pes choræus ex vna longa, & ex alia breui constans: & in

ablatio est Spondæus constans ex duobus longis: & tamen sonus est idē. Bene verum est tamen, quod plerumque talis Poëtica mensura fundatur (eo modo, quo entia rationis fundari dicuntur) in longitudine, & breuitate syllabarum, & in earum accentibus; acuto, scilicet, & graui; ac in spūta, tenore, & tempore vocum: sicut & ipsa oratio musica: quare perfectus Musicus debet esse Poeta: & e contra.

1. Conclus.

Dicendum primo. Oratio realis, de qua hic Arist. agit, est idē, quod obiectum Musicæ, prout secundum suam quidditatem consideratur. Hæc sic ostendo: intentum Arist. in his Prædicamentis est omnium rerum quidditates ad certum numerum redigere: vt supra diximus: ergo de obiecto Musicæ debuit in his Prædicamentis agere non in alio, nisi in hoc; cum illud sit quæritas discretæ: ergo de illo in hoc Prædicamento egit, sed secundum ipsum omnis quantitas discretæ est, vel numerus, vel oratio: ergo, cum obiectum Musicæ non sit numerus, erit oratio.

Secundo, obiectum Musicæ, & obiectum Arithmeticæ, ad idem pertinent Prædicamentum, prout secundum suas quidditates considerantur: quia secundum omnes, sunt quantitates discretæ: sed Arist. agit in hoc Prædicamento de numero, qui est obiectum Arithmeticæ: ergo oratio, de qua hic agit, tanquam numero opposita, erit numerus honoris, qui est Musicæ obiectum. Vel dicatur mihi, in quo Prædicamento tale obiectum collocari potest, & fuit ab Aristotele collocatum?

2. Conclus.

Dicendum secundo. Oratio est verè, proprie, ac formaliter, quantitas discretæ, & vnum per se, reale, absolutum, ex genere, & ex differentia constans. Hæc est Doctoris in præsentia, & ex Articulo præcedente patet: nam discretio hæc per discretionem subiecti innotescit: sed partes huius subiecti, do, mi, nus, non copulantur termino communi: ergo nec partes discretionis sibi correspondentes: ergo talis discretio est per se quantitas discretæ: ac per consequens vnum per se reale absolutum.

3. Conclus.

Dicendum tertio. Numerus, & Oratio sunt duæ species subalterne quantitates discretæ; & ipsa quantitas discretæ in communi, vt continet opponitur, est verum genus, respectu illarum, & respectu quantitates in communi vera species subalterna. Hæc est Doctoris in præsentia, & questione præcedente, contra omnes qui negant numerum, & orationem, esse per se quantitatem. Prima pars probatur, & explicatur: nam numerus diuiditur primo in Parem, & Imparem; & rursus Pares in Quaternarium, Senarium, Octonarium, & Duodenarium; & numerus Imparis in Ternarium, Quinarium, Nonenarium, quorum quilibet est species infima ab alia realiter distincta.

Similiter Oratio: alia est litterata, alia illitterata: prima tantum in vocibus humanis reperitur: & est multiplex secundum proportionem numerorum, penes quam venatur: nam in duodenario numero suis inferioribus comparato tota musica consonantia inuenitur: sicut enim comparando octo ad sex; & nonem ad duodecim; resul-

resultat inter illos proportio sexquitercia: ita in multitudine vocum, eadem comparatione facta, & coniuncta, resultat, seu fit, quædam consonantia, quæ dicitur, Dyatheseron: & sicut si nouem ad sex; & duodecim ad octo comparentur; resultat alia proportio, quæ sexquialtera appellatur: sic in numero vocum; si eodem modo comparentur, & coniungantur; alia consonantia causatur, distincta specie, quæ dicitur, Dyapente. Et sicut, si duodecim ad sex comparentur, resultat proportio dupla: sic, si in vocibus coniungantur; fit consonantia dicta, Dyapason. Ac denique, si nouem ad octo referantur; consurgit proportio sex qui octaua: sic in Musica fit alia concordantia, quæ dicitur tonus, & est mensura omnium sonorum musicalium, & inter omnes minima. Vide de hoc Boetium lib. 2. suæ Arithmeticæ cap. vltimo.

Oratio illitterata est multiplex iuxta multitudinem instrumentorum musicalium: vide illos in lib. de Proprietatibus rerum lib. 19. in fine: & per hæc patet prima pars conclusionis.

Secunda pars etiam constat ex dictis: si enim numerus, & oratio, sunt vera species quantitatis discretæ; ipsa quantitas discretæ necessario est illarum genus.

Tertia pars; quod, scilicet, quantitas discretæ sit species subalterna: immediate diuidens quantitatem in communi; probatur: nam Arist. diuidit in præsentia quantitatem in communi in continuam, & discretam: sed quantitas continua est vera species quantitatis: ergo & quantitas discretæ: probo consequentiam: hæc diuisio datur ab Arist. per duas rationes positiuas sibi oppositas; continuitatem, nempe, & discretionem: sed continuitas constituit veram speciem: ergo & discretio: vel si hæc non; nec etiam illa: vel diuisio non est sufficiens, propria, & realis: implicat enim diuisum aliquod diuidi proprie, & realiter; & vnum membrum diuidens esse proprie speciem; & non aliud.

Respondent Suarez disput. 41. sect. 1. ad argumenta, & Conimbric. in hoc cap. quæst. 2. quod Arist. numerauit quantitatem discretam inter species quantitatis: non quia in re habet veram vnitatem: sed quia in re habet suum modum extensionis, & multiplicationis.

Sed contra: quia aliud est habere partes exte- sas: aliud habere illas hoc, vel illo modo: quantitas discretæ in habendo partes extensas est vere quantitas: cum quantitas, vt sic, solum in extensione partium extra partes consistat: quod autem eas habeat, hoc, vel illo modo, maiori, vel minori vnitatem, non tollit ab illa rationem quantitatis; sed est veluti differentia, per quam a quantitate continua differt.

Præterea, ad hominem contra ipsum Suarez sic arguendum: nam omnia, quæ in Prædicamento collocantur, habent in rebus propriam, ac per se vnitatem (vt ipse ibidem fatetur) sed quantitas discretæ in Prædicamento ponitur; non solum logice, sed metaphysice; ergo secundum aliquem modum extensionis, & vnitatis per se, sufficientem eam in Prædicamento constituit. Tunc sic: sed quantitas discretæ, vt sic, secundum illum modum

non ponitur indirecte, & reductiue: nam tunc, vel reducitur ad ipsam quantitatem in communi: vel ad quantitatem continuam: vel ad aliam discretam: quod est impossibile; quia poni indirecte, vel reductiue, est poni, mediante alio: & si quantitas discretæ poneretur mediante alia discretæ; altera illarum superflueret. Si vero mediante quantitate continua: iam tunc esset quantitas continua: si autem mediante quantitate in communi: iam non esset membrum diuidens illius: quod est contra Arist. ergo necessario ponitur in Prædicamento directe: non vt indiuiduum; nec vt species infima: vt patet ex dictis: ergo vt species subalterna: & hoc a parte rei: ergo a parte rei est vera species subalterna, quantitatis.

Ad primam pro prima sententia.

Ad argumenta primæ sententiæ: ad primam & ad Arist. dico: quod Arist. sub numero comprehendit orationem: nam ibi sumit numerum pro quantitate discretæ absolute. Vel aliter: quia numerus est perfectior, & notior species oratione: ideo tantum illius meminit. Ad Doctorem dico: quod ibi sumit orationem pro materiali; quatenus est subiectum numeri: sicut de multitudine numerali diximus.

Ad secundam.

Ad secundum dicendum: quod oratio dependet ab intellectu, vt a disponente causæ orationis; & non vt a causâ ipsam efficientem: nam vt sic ab ipsis sonis longis, & breuibus causatur.

Ad argu. 2. sententiæ.

Ad argumentum secundæ sententiæ dico: quod minor est falsa: nam oratio non est motus: licet motum præsupponat: vt diximus. Maxime quia sententiâ illa secum pugnare videtur: quia implicatorium est; quod aliquid participet per se proprietatem alicuius; quin etiam per se eius essentiam participet: sed ratio mensuræ est proprietas quantitatis, & extensio est eius essentia: ergo impossibile videtur: quod oratio sit vera species mensuræ; & non sit vera species extensionis.

QVÆST. III.

An Aristot. sufficienter enumeret species quantitatis continuæ?

Continua vero, vt linea: superficies: & corpus: amplius autè præter hæc, tempus; & locus, cap. eod.



QVÆRITVR; An Arist. sufficienter enumeret species quantitatis? quod non videtur; per Arist. in 5. Metaph. tempus est quatum. Tex. com. 18. A a 5 tum

tum per accidens: sed de nulla specie prædicatur genus per accidens: igitur tempus non est species.

Item, per ipsum ibidem: tempus est quantum per motum: igitur motus magis quantus. Vnde Arist. i. Posteriorum: propter quod vnumquodque tale: & illud magis. Igitur sunt plures species, quam hic enumerentur.

Tex. 5.

Item, tempus est numerus, per Arist. quarto Physicorum: igitur non est alia species.

Tex. com. 18.

Item, locus non enumeratur quinto Metaph. inter species quantitatis: igitur, vel est insufficientis ibi: vel locus non est quantitas. Similiter; Commentator ibi assignat causam; quare Arist. omittit ibi locum dicens: quod locus non est quantitas secundum opinionem Arist. sed tantum famose.

Item, locus non videtur alia species à superficie: quia illud primo ponitur in diffinitione loci in abstracto: & quando accidens in abstracto diffinitur; quod primo ponitur in diffinitione eius, est de eius essentia.

*Ad oppositum est Arist. & t.*

Quæritur iuxta hoc: An locus sit quantitas? quod non videtur: quia omne, quod ponitur in diffinitione accidentis, est subiectum eius; vel de eius essentia: vltimum corporis continentis ponitur in diffinitione loci; & non est de eius essentia: quia tunc esset eadem species cum superficie: igitur vltimum est subiectum loci: sed impossibile est, passionem, & subiectum, esse species eiusdem generis: igitur locus non est species quantitatis. Et ratio confirmatur per Commentatorem 5. Metaph. qui dicit, locum esse passionem in vltimo; vt immobilitatem.

4. Physic. Tex. com. 41.

Tex. com. 18.

Item, ad quantum; in quantum quantum; nihil mouetur naturaliter: sed ad locum proprium, quodlibet mouetur naturaliter, per Arist. 4. Physicorum: igitur. Probatio maioris: nihil mouetur ad aliud; nisi propter convenientiam in natura: sed quantum; in quantum quantum; cum nullo conuenit in natura, sed est natura, quæ est principium motus, & quietis: quia naturaliter prius istis in est substantiæ.

Tex. com. 30.

Item, quantum; in quantum quan-

tum; non saluat aliquid naturaliter: quia nec conuenit cum aliquo in natura: sed locus; in quantum locus; saluat locatum, per Arist. quarto Physicorum.

Item, locus per se dicitur ad locatum: igitur est in genere relationis.

*Vbi supra & inde.*

*Ad oppositum est Aristoteles.*

Item, locus est per se mensura: igitur quantitas: antecedens patet: consequentia etiam per Arist. qui sic arguit de oratione.

Item, proprium proprie non inuenitur extra illud, cuius est: sed proprie proprium est quantitati; vt secundum eam aliquid æquale, vel inæquale, dicatur: hoc autem conuenit loco: igitur est quantitas.

Item, locus est per se diuisibilis: igitur locus est quantitas.

*Rursus locus continuorum est, cap. eod.*

Iuxta hoc quæritur: An sit quantitas continua? quod non videtur: figuratur virga aliqua continua in terra, cuius pars sit in terra, pars in aere: tunc arguo: locus est vltimum corporis continentis: sed vltimum aeris, & vltimum terræ, qua locant hoc locatum, non sunt continua; sed tantum contigua: igitur locus huius virgæ non est continuus.

*Ad oppositum est Arist.*

*Locum enim quendam particula corporis obtinent, quæ ad quendam communem terminum copulantur: ergo loci particula, quæ obtinent singulas corporis partes ad eundem terminum copulantur, ad quem corporis particula, cap. eod.*

Quæritur iuxta hoc; an particula corporis, & loci, copulentur ad eundem terminum: quod non videtur: quia particula corporis copulantur ad superficiem: particula loci non: quia locus est superficies: & particula superficiem non copulantur ad superficiem.

Item, locus est diuisus à locato, per Arist. 4. Physicorum: igitur non est

*Vbi supra idem*

idem terminus continuans partes vtriusque: consequentia patet: quia terminus ab eo, cuius est, non est diuisus: igitur non est idem duorum diuisorum.

*Ad oppositum est Aristoteles.*

Ad secundum quæsitum dicendum: quod locus non est species quantitatis, propter primam rationem ibi: & propter dictum Commentatoris supradictum in quæstione præcedenti.

Similiter, pro prima ratione ad tertiam quæstionem dico: quod locus non est necessario continuus: sed nihil differt ad vnitatem eius, superficies esse contiguas: si idem locetur à diuersis corporibus contiguis: vel superficiem vnus continuam: quando locatum locatur in vno locante.

Similiter ad quartam: quod nullo modo possunt partes loci copulari ad eundem terminum numero, ad quem partes corporis: quia locus diuisus est à locato; locus enim est, vnde, & ad quem locatum mouetur: & non mouetur cum locato; nec ad eundem terminum specie: quia ille terminus corporis est superficies, quæ non est terminus loci: nisi locus esset corpus: imo ad nullum terminum eundem oportet eas copulari: cum non oporteat eas esse continuas.

Ex hoc sequitur solutio primæ quæstionis: quia non sufficienter enumerat species quantitatis; saltem quoad hanc speciem, locus.

Ad authoritates Arist. in oppositum ad omnes quæstiones dicendum: quod non loquitur hic de loco secundum propriam opinionem; sed secundum opinionem ponentium locum esse spatium æquale locato: & secundum illam essent hæc omnia vera de loco: sed illa opinio improbat ab Arist. quarto Physicorum. Ita frequenter, quando loquitur de aliquo; vbi non est proprius locus determinandi veritatem de illo; vtitur communi sententia aliorum; vsque alibi, vbi locus est, de illo veritatem determinare; dum modo ars possit dari secundum sententias aliorum: sicut & secundum veritatem propriam: ita est pene de omnibus exemplis in Logica: quia si sic sit; vel non; non curat: sed quod ars sit vera in istis; si hæc sint talia: sicut hic sufficienter manife-

statur, quantitatem esse genus: quia habet sub se multas species inter medias, & specialissimas: siue locus sit aliqua illarum; siue non.

Ad primum argumentum primæ quæstionis potest dici: quod aliquid esse quantum per accidens, siue per aliud; est dupliciter; effectiue, vel formaliter. Formaliter, non est tempus quantitas per aliud, id est, nihil aliud est per quod recipiat prædicationem quantitatis: sed prædicatur de eo per se primo modo. Effectiue; quodammodo potest tempus dici quantum per aliud: quia effectiue suam essentiam, & suam quantitatem, quæ est sua essentia, habet ab alio; vt motu: non tamen efficit aliquid; quod tempus sit quantitas.

Ad secundum dico: quod propositio Arist. tantum est vera; vbi aliquod vniuocum dicitur de causa, & effectus: quod natum est recipere magis, & minus: & quando causa est per se, & totalis. Prima conditio deest hic: & secunda similiter; probatur: quia tempus est quantitas: motus non est quantitas: quia ratio eius tota potest intelligi conuenire indiuisibili: nec vniuocantur in quanto: quia illud dicitur de motu per se secundo modo: nullo modo de tempore: vt tempus est species quantitatis.

Ad tertium dico: quod numerus aliquid quando transfunditur; vt generaliter sumatur pro mensura: forte, propter hoc; quod ratio mensuræ in quantitatis primo conuenit numero: & ita ponitur in diffinitione temporis: non autem, vt est quantitas discreta: & est æquiuocatio penes secundum modum. Alia concedenda sunt de loco; præter vltimum; ad quod dicendum: quod hæc est prædicatio tantum materialis: locus est vltimum: & formaliter, propositio est falsa: sed formaliter locus est immobilitas in vltimo secundum Commentatorem: forte tamen in diffinitione loci primo ponitur vltimum: quia illud est notius immobilitate loci.

Ad argumenta in oppositum secundæ quæstionis dicendum: ad primum dici potest: quod locus non est mensura per se: sed per naturam sui materialis, quod est superficies. Vnde secundum eandem dimensionem mensurat: secundum quam, & superficies.

Et si arguatur contra hoc: quia aliam ratio-

rationem mensuræ habet à superficie: est enim mensura extrinseca: superficies intrinseca.

Dici potest: quod intrinsecum, & extrinsecum per se non variant rationem mensuræ: ideo nec locus per se habet aliam rationem mensuræ à superficie: ideo enim est extrinseca: quia est vltimum corporis continentis materialiter; & non vltimum contenti; quod tamen mensuratur à loco.

Ad secundum dico: quod secundum locum formaliter non dicitur aliquid per se æquale alijs: sed forte materialiter secundum superficiem continentis: imo magis locus dicitur æqualis locato secundum Arist. 4. Physicorum: & non illud, secundum quod alia dicuntur æqualia.

Ad tertium dico: quod locus per accidens est diuisibilis, per naturam materialis sui: sicut cætera formæ per se fundata in quantitate sunt per accidens diuisibiles per naturam quantitatis: & locus forte plus cæteris; eo quod propria passio superficie, &c.

Summa textus.

In hac quæstione, quæ secundum Doctoris textum, ex quatuor integratur; quærit ipse de quantitate continua; an scilicet huius species sint ab Aristotele sufficienter enumeratæ: & quia quinque à Philosopho assignantur: Linea; Superficies; Corpus; Tempus, & Locus: & de tribus prioribus ab omnibus conceditur pars affirmatiua; de duabus vltimis tantum disputat: & postquam, more solito, partem negatiuam cum suis fundamentis apposuit; pro affirmatiua.

1. Conclus. Dicit primo. Tempus est quantum per se; vt ly per se, distinguitur contra per accidens: nõ tamen vt distinguitur contra per aliud: hæc habetur ibi: Ad primum argumentum primæ quæstionis: & per illam ad dubium de tempore factis fit.

2. Conclus. Secundo dicit: locus non est species quantitatis: habetur ibi: Ad secundum quæsitum dicendum.

3. Conclus. Tertio dicit: locus non est necessario continuus: sed nihil refert ad illius vnitatem; superficies esse contiguas: si idem locatur à diuersis corporibus contiguis. vel superficiem vnus esse continuum; si locatum locatur in vno locante. Hæc habetur ibi: Similiter pro prima ratione, ad tertiam quæstionem.

4. Conclus. Quarto dicit, nullo modo possunt partes loci copulari ad eundem terminum numero, ad quem partes corporis: habetur ibi: Similiter ad quartam, &c.

Quinto dicit: cum Aristoteles fuerit secundum Antiquorum opinionem loquutus; non sufficienter numerauit species quantitatis; saltem quoad hanc speciem, locus habetur ibi: Ex hoc sequitur solutio primæ quæstionis. Hæc sunt conclusiones ex Doctoris littera deductæ, quibus omnibus quæstis responderet: de quibus, & de alijs, ad quantitatem hanc continuam pertinentibus, est nobis inuestigandum; ne aliquid ad hæc materiam conducens relinquamus.

ARTIC. I.

An Linea; Superficies, & Corpus; sint species quantitatis continua?

QVOD non; videtur primo: Nulla species vnus generis est de quid dicitur alterius speciei eiusdem generis: sed linea est de ratione superficie, & superficies de ratione corporis: ergo non sunt species distinctæ: minor parte: nam superficies terminatur duabus lineis: & corpus duabus superficiebus: sicut linea terminatur punctis: ergo sicut puncti sunt de ratione lineæ; ita lineæ sunt de ratione superficie; & superficies de ratione corporum: ergo, &c.

Secundo, istæ tres species tantum differunt secundum magis, & minus; ergo non sunt essentialiter diuersæ: antecedens probatur: nam linea tantum differt per hoc; quod sit extensa ad vnum: superficies ad duo: & corpus ad tria: sed hoc est differre secundum magis, & minus: ergo.

Tertio, istæ non distinguuntur realiter: ergo nec essentialiter: probatur antecedens: nam nulla superficies per aliquam potentiam est diuisa sine lineis: nec linea sine punctis: nec corpus sine superficie: ergo non distinguuntur realiter.

Quarto, superficies saltem est corpus essentialiter: ergo non est species à corpore distincta: antecedens probatur: superficies habet duplicem superficiem; alteram, quam inhæret subiecto; & alteram, qua terminat visum; ergo est corpus: quia de ratione corporis est duplici superficie terminari.

Pro intelligentia notandum primo. Aliud esse contiguum; & aliud continuum: contigua, secundum Aristot. 5. Physicorum tex. 26. sunt, quorum extrema sunt simul: id est, quæ medijs extremitatibus se contingunt. Continuum vero est, cuius partes aliquo continuatiuo copulantur: quare Philosophus in hoc cap. sic continuam quantitatem diffinit: quantitas continua est, cuius partes vnico communi termino copulantur: hoc est, puncto indiuisibili, qui taliter hanc partem terminat; vt sit etiam initium alterius partis sequentis: & ita est terminus, & principium. Et talis quantitas continua est duplex: permanens, quæ in lineâ; superficiem; & corpus, partitur: & successiua, quæ in tempore, & motum diuiditur. Vnde hic tantum de permanente inuestigamus.

Secundo notandum: in corpore, humano, v.g. triplicem

5. Conclus.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

4. Arg.

1. Nota.

2. Nota.

triplicem extensionem continuam considerari posset: aliam à pedibus vsque ad caput; & e contra; non considerando latera corporis: & hæc dicitur longitudo; seu Linea; quæ à Mathematicis sic diffiniri solet: linea est, quæ fit ex ductu puncti: si enim punctus indiuisibilis, qui ab illis mathematico more fingitur in planta pedis; fluere ab ipsa planta vsque ad capitis verticem; vestigium illud à puncto derelictum diceretur linea; seu longitudo: & hoc est ex ductu, seu fluxu puncti fieri lineam, quæ cum terminetur duobus punctis, & infinitis coniuetur; dupliciter à nobis notificari potest: primo, ex ratione terminorum, hoc modo: Linea est magnitudo ad vnum punctum, & duplici vtraque parte, terminata. Ex parte vero continuationis sic: Linea est magnitudo continua, cuius partes punctis copulantur. Et vt vtramque rationem sub vna explicemus: Linea est magnitudo continua, cuius partes punctis copulantur, & illis terminantur.

Alia extensio in corpore humano potest considerari ex latere dextro vsque ad sinistrum; & e contra; includendo illam planitiem: & talis extensio dicitur superficies, seu latitudo; quæ sic à Mathematicis describitur: Superficies est, quæ fit ex ductu lineæ: quæ eodem modo, quo descriptio lineæ, est intelligenda. Cum vero latitudo duabus lineis terminetur; & infinitis coniuetur; aliter, sicut & linea; ab Aristot. describitur sic: superficies est magnitudo ad duo terminata: id est, ad lineam proximam, & ad punctum remotum. Vel aliter est magnitudo continua duabus lineis terminata, & infinitis continuata.

Alia denique extensio consideratur à ventre vsque ad tergum; & talis dicitur corpus, siue profunditas: & sic describitur: corpus est, quod fit ex ductu superficie; vel est magnitudo ad tria terminata: videlicet ad superficiem proximam; & ad lineam, ac punctum remotum. Seu aliter: Corpus est quantitas continua, cuius partes duabus superficiebus terminantur, & infinitis copulantur, ac continuantur.

Tertio notandum: quod vt iam supra quæst. 10. Antepredicam. in solutione ad primum adnotauit aliquantulum Doctor: corpus tripliciter sumitur: vel prout ex materia, & forma substantiali constat, & vt sic, prout ab hæcætatibus; & existentijs abstrahit est gradus in prædicamento substantiæ: aut sumitur pro altera parte compositi physici: ac tandem sumitur pro specie quantitatis; vt iam explicauimus. Vnde cum sit quantitas secundum omnem extensionem extensa; & nullius alterius quantitatis sit pars, ab omnibus conceditur esse veram huius prædicamenti speciem: quare solum de linea, & superficie potest esse dubitatio.

Quarto notandum: quod aliter linea, & superficies sunt species quantitatis; & aliter principiant, seu terminant; linea scilicet superficiem, & superficies corpus: nõ hoc posteriori modo sunt indiuisibiles: linea enim est indiuisibilis secundum latitudinem: & vt sic, terminat, & coniuat superficiem. Superficies etiam est indiuisibilis secundum profunditatem: & vt sic, terminat, & copulat corporis partes: & hoc modo reductiue

ponuntur in genere cum ipsis partibus, quas terminare, & copulare dicuntur. Sicut punctus reductiue cum partibus lineæ; & materia, ac forma, cum suo composito, collocantur. At vero priori modo sunt entia completa in suo ordine; & ideo per se sunt veræ species entis; & directe in Prædicamento apparentur.

Dicendum primo. Linea; Superficies; & Corpus; sunt tres species quantitatis continuæ, inter se realiter distinctæ: Hæc cum Aristot. tanquam certa supponitur à Doctore; colligiturque ex ipso in secundo, distinct. 2. quæst. 9. est que D. Thomæ opusc. 30. cap. 2. & Aliorum, quos refert, & sequitur Araujo 5. Metaph. quæst. 3. art. 5. & statuitur contra Durandum in 2. dist. 2. quæst. 4. & Ochamum tract. de Eucharistia q. 1. asserentes has tres species in negatione diuisionis vltioris magnitudinis consistere: & contra Arimensem affirmantem in secundo, distinct. 2. quæst. 2. art. 1. cum corpore omnes distincta ri realiter; & tantum penes connotationes quarundam negationum distingui.

Prima pars probatur: illæ sunt propriæ species alicuius generis, quæ naturam genericam participant distinctis differentijs contrariam: sed linea, Superficies, & Corpus sunt huiusmodi: respectu quantitatis continuæ, quæ est genus in hoc Prædicamento: ergo sunt veræ; & propriæ species illius: minor probatur: nam omnes istæ essentialiter habent extensionem quantitativam terminis communibus copulatam, quæ est ratio generica: habentque peculiare rationes extensionis; vt diximus: & statim amplius dicemus: quæ sunt veræ, propriæ, ac positivæ differentie: ergo sunt propriæ species quantitatis.

Secunda pars ostenditur: illæ quantitates, quæ habent diuersas rationes extensionis, sunt essentialiter diuersæ: sed prædictæ sunt huiusmodi: ergo probatur: minor enim linea habet dimensionem secundum vnam extensionem nempe longitudinem; Superficies secundum duas; longitudinem, scilicet, & latitudinem: Corpus autem secundum tres; longitudinem, videlicet, latitudinem, & profunditatem; ergo habent diuersas extensiones essentielles: ergo realiter distinguuntur: nam distinctio essentialis in creatis est realis. Vide Araujo late hanc partem prosequentem.

Dicendum secundo. Istæ tres species quantitatis continuæ sunt infimæ, & atomæ, tam in ratione diuisibilis, quam in ratione mensuræ: hæc quoad primam partem est fere communis; quoad secundam statuitur contra Soto: & probatur quoad primam: essentia quantitatis in extensione consistit: ergo non potest diuidi in species essentialiter distinctas; nisi per modos extensionis essentialiter diuersos: sed linea (& idem de alijs) nõ diuiditur per tales modos: ergo nec diuiditur per species essentialiter diuersas: probatur minor: nam extensio cuiuscumque lineæ est in partes longitudinis; quæ est æqualis in omnibus; & puncti, quibus omnes lineæ inter se continuantur, sunt eiusdem speciei: ergo omnes lineæ cum eodem puncto sint continuabiles, sunt eiusdem speciei.

Secunda

3. Nota.

4. Nota.